THUCYDIDIS

DE

BELLO PELOPONNESIACO

LIBRI OCTO.

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

FRIDERICVS HENRICVS BOTHE.

TOMUS PRIMUS.

LIPSIAE MDCCCXXXXVIII.

SVMTV GVILELMI JVRANYI.

BOSTONI APUD LITTLE ET BROWN. — LONDINI APUD WILLIAMS ET NORGATE.
LUGDUNI BATAVORUM APUD SAM. ET J. LUCHTMANS. — PARISIIS APUD A. FRANCK.
MEDIOLANI APUD TENDLER ET CO. — MOSCOVIAE APUD M. ARLT.

5-7

ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ

ΠΕΡΙ ΤΟΥ

ΠΕΛΟΠΟΝΝΗΣΙΑΚΟΥ ΠΟΛΕΜΟΥ

ΒΙΒΛΙΑ ΟΚΤΩ.

ΑΚΡΙΒΩΣ ΕΚΔΟΘΕΝΤΑ

ΠΑΡΑ

ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΥ ῾ΕΝΡΙΚΟΥ ΤΟΥ ΒΩΘΕΟΥ.

῾Ο ΠΡΩΤΟΣ ΤΟΜΟΣ.

ΕΝ ΛΕΙΨΙΑΙ

ΔΑΠΑΝΗΙ ΓΟΥΙΛΕΛΜΟΥ ΤΟΥ ΙΟΥΡΑΝΤΟΥ.

͵αω′μ′η′.

THUCYDIDIS

DE

BELLO PELOPONNESIACO

LIBRI OCTO.

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

FRIDERICVS HENRICVS BOTHE.

TOMUS PRIMUS,

LIBROS PRIORES QUATUOR CONTINENS.

LIPSIAE

SVMTV GVILELMI JVRANYI.

MDCCCXXXXVIII.

AMBROSIO FIRMINO

DIDOTO,

ΤΩΙ ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ,

THUCYDIDIS EDITORI CLARISSIMO,

HUNC LIBRUM DEDICAVIT

FRID. HENR. BOTHE.

AD A. F. DIDOTUM.

Qui magnam partem sic est tuus, accipe librum,
sitque incorruptae pignus amicitiae.

PRAEFATIO.

Meditatum me saepe bellum, quo nunc Europa et Africa colliduntur, non fugit similitudo ejus cum celeberrimo illo, quod descripsit Thucydides. neque enim hoc olim susceptum est, ut alia nota, ad ulciscendas injurias peculiares, aut acquirendas vel defendendas terras urbesque; neque illud hodie de causis ejusmodi geritur, sed de axiomatis politicis, parte altera tuente majorum instituta inhumaniora, altera propugnante pro novis ac liberalibus. Fortis belli, sed domi stabilis veterumque aviarum studiosus, fuit Lacedaemonius; mobilis, ingeniosus, artiumque et libertatis amans, nec tamen etiam ipse instrenuus, Atheniensis: itaque non potuit fieri, ut post finita feliciter bella persica tam diversis animis gentes illae duae, praesides Graeciae, firma societate conjungerentur, ut alioqui expectandum fuit, sed in se ipsa saeviit Hellas bello isto, ut, tandem succumbente meliore populo, praeda esset primum lacaena perfidia ipsorum Persarum,

deinde Macedonum et Romanorum. Merito sacrum id bellum dixeris, ut quod de re sacra, libertate, committeretur. itidemque sacrum appellavi illud, quo nunc tremit uterque mundus, africanum in carmine, quo perlecto vir humanissimus, Guilelmus Jurany, qui nos ad edendum Thucydidem invitavit, qua est perspicacia, suasit, id ut libro praefigerem tanquam speculum, in quo viderent hodie viventes, quo cadere possit causa optima, si deseratur, quemadmodum nunc soli Francogalli impugnant barbaros, quibus par esset resistere universam Europam, cum res agatur culturae atque humanitatis, restitutioque illarum regionum in statum pristinum, cum purgatum a barbaris esset mare mediterraneum, et Carthago, Cyrene, aliaeque urbes nobiles, Romanorum potentia tutae florerent in Africa septentrionali, barbari autem desertis suis cohiberentur. Igitur, quod bene vertat, carmen praefationi adjecimus.

Sed ad Thucydidem ut jam convertamur, egregie quidem tot viri eruditi in explicando atque emendando eo elaboraverunt; nec tamen adhuc extrema ei operi manus accessit, sed restant satis multi nodi et scrupuli, qui opem Criticorum poscunt, nisi quis tantum tribuat codicibus, ut quidvis ineptum aut obscurum, quod offerunt, accipiendum putet. Nimirum omnium, quotquot sunt, librariorum auctoritate potior est ratio, neque errores recentiorum rudiumque fere hominum fovere decet orbem litteratum, sed veterum scriptorum manus pro virili parte restituere et curare, ne ludibrio sint ingenia praeclara vulgo, quod, lucro praesenti inhians, contemnit humanitatem. Dupliciter autem peccare

solebant illi, qui libros graecos et latinos describebant aevo medio, cum aut male legendo verba scriptorum depravarent, aut glossas in margine vel inter versus adscriptas in ipsum ordinem reciperent. utroque mendorum genere adeo inquinatus hic noster est, ut subinde σολοικίζειν putes auctorem purissimum, putideque fabulari virum prudentissimum atque eloquentissimum *).

Quare nos, diu cunctati, dum aliorum expectamus opem, postquam ea spes evanuit, *ne*, quod ille ait, *repetita crambe occidat miseros lectores*, symbolam nostram dare decrevimus, neque amplius pati, ut Dionysiorum et Reiskeorum criminibus cavillationibusque obruatur princeps historicorum.

Quodsi quis quaerit, quibus subsidiis fretus hanc telam texuerim, ingenue respondebo, codices quidem scriptos adhuc incognitos non fuisse ad manum, sed, adhibitis excerptis atque commentariis doctissimorum editorum, Hudsonis, Wassei, Dukeri, Gottleberi, Popponis, Haackei, Goelleri, Ambrosii Didoti, Kruegeri, et si qui horum similes sunt, neque neglectis metaphrastis, in quibus Heilmanno, Gailio, Didoto, cum attenta lectione scriptoris, tum ope palaeo-

*) Ne quis nos inique judicare putet de codicibus scriptis, quos solos sequendos esse negamus, etiam vetustissimis, quos vulgo optimos existimant, et consentientibus, rationem adhibendam esse rati, adscribam verba doctissimi Didoti annotatione ad l. 3, cap. 31., Thucyd. vol. 2. p. 403. „Nous observerons, que l'accord de plusieurs Mss. sur telle ou telle variante ne saurait décider notre approbation; car nous savons par expérience que souvent un seul manuscrit, fût-il même réputé le plus mauvais, peut contenir d'excellentes leçons, tandis que les plus estimés nous donnent souvent des leçons vicieuses."

graphiae, superare me conatum esse hos scopulos, ad quos quidam appulsi vix enatarunt. exposui autem copiolas meas quam brevissime potui, ne moles librorum Thucydideorum immoderatius augeretur; jamque bono animo Criticorum voces expecto, quos quales esse velim significavi hoc epigrammate

Non mea nasutos Criticos, nasove carentes,
omnia quîs placeant, omnia displiceant,
sed, qui vera viri verique simillima norunt,
hos jubeam ingenuo cernere judicio.

Dabam Lipsiae, mense Julio anni 1847.

F. H. B.

BELLUM SACRUM.

POËTA.

Quid me, cara, jubes undis committere lembum,
clangoremque tubae te duce, Musa, sequi?
Non ego sum miles, neque navita, suetus in altum
tendere, ventorum callidus et pelagi;
tecum Parnassi soleo conscendere colles
subveritus, sed te fretus et ingenio
non lucri cupido, verique et juris amante;
vel, si quando maris blanda trahit facies,
haud longe a bibulis excurrere, prodigus aevi,
audeo littoribus, Nereïdumque choros
furtim admiratus redeo tutantis ad aram
Vestae, fumosos adspicioque lares,
quo voltu portus et patria moenia sero
adspicit, a puero qui vada torva secat.

MUSA.

Tu tamen et gladio cincto, galeaque coruscans,
alter Tyrtaeus, nunc iter accelera
praeclara in bella, Europae quia dura minatur
Africa, monstrorum tempore quoque ferax,
luciferoque infensa animi, quo hic enitet orbis,
barbaria, et fraudis plena superstitio,
serpentes inter tigresque avidosque leones
nutrita, ipsa feris exitiosa magis.
Confremuit, ubi pervasit penetralia coeli
nuntius, heroum nobilitata cohors
factis mirandis, quae nulla oblitterat aetas,
Jordanis ad ripas, cum peterent Solyma
Robertus, Godofredus, et Hugo, cumque leone
Valserus, quem anguis dentibus eripuit,
Raimundusque Tolosanus, Pisaque profectus
sanctus Adimbertus, fortibus imperitans
classibus egregiae patriae, numeroque carens vis
bellatorum, ipso quîs cecidit Furia
divum Hominem exsecrata ferox in limine templi,
quod summo Sapiens condidit ille deo,
regumque ista thronis series quae strenua sedit
hoste triumphato, praesidium fidei.
O animae sanctae, descendite sede beata,
ex qua fata hominum turbida conspicitis,
divinis radiisque illustres ducite mundum
unanimem, Christi quem decorant tituli,

Gallos belligera nulli virtute secundos,
Hispanos, Batavosque, et quibus agminibus
ipse viros polus asper et aggregat ultima Thule
terrarum, sed non ultima Marte sacro,
clara Macedoniae dum fatorum ordine dormit
natio, ad antiquum non revocata decus,
et magnum torpor populum tenet, omnia circum
littora quem medii pertimuere maris!
tuque, leo Richarde, sepulcri rumpere claustra
quid dubitas? Exsurge, impia lucra pie
castigatum, infanda quibus ditescere pugnat
factio mangonum, nomina commaculans
Angla: igitur tonitrus voce increpita sceleratos,
et quo fudisti magnanimus gladio
millia Turcarum, nunc terre iratior hostes
coelicolûm atque hominum, viscera ne laceret
ipsa sua haec tellus, cui spirat lenior aura,
nec fera Maurorum denuo in Hesperia
exsistant solia, haud, ut pridem, hodieque futura
disciplinarum splendida luminibus!
Nil desperandum, si numine sancta deorum
mortales, quamvis tristia, suscipiunt:
solatur rectum sibimet conscire labores,
et magna est magnis gloria proposita.

POËTA.

Ergo age, Musa, sequor, quo te via ducit, amica!
non ego naturae, non hominum timeo

saevitiam, invicto munitus pectora vero:
major terrenis evehor ad supera,
Gradivi socius; sed non vi robore et armis,
cantu vincam hostes, si mihi, diva, faves;
cantu inflammabo mentes, ut vilia temnant,
quîs inhiat vulgus sollicitum, pretia;
gloriaque ut, ceu sol, praeluceat alta catervis,
efficiam, pulsis nubibus invidiae.
mox rediens populis Pax aurea tuta beabit
arva suo afflatu; mox grave laeta bonis
innumeris in terram effundet Copia cornu;
ridebit Tellus, cui mare fluctisonum
allidet liquidis undis, nec turbine motis,
cognoscetque orbis mobilis, esse deum.

EXPLICATIO SIGLORUM, QUIBUS IN HOC OPERE USI SUMUS.

Ath., *'Aθ.*, Athenienses.
Arn., Arnoldus.
B., Beckius.
Bk., Bekkerus.
Bloomf., Bloomfieldus.
B—r., Bauerus.
Cam., Camerarius.
D., Dukerus.
Df., Lud. Dindorfius.
Did., Didotus.
δηλ., *δηλονότι*.
G., Gottleberus.
G—r., Göllerus.
Heilm., Heilmannus.
Hk., Haackeus.
Hn., Hudsonus.
K., Krügerus.
κ., *καί*.
Lac., *Λακ.*, Lacedaemonii.
ll., libri.
P., Poppo.
S., Scholiastae.
St., Henr. Stephanus.
Th., *Θ.*, Thucydides.
W., *Wass.*, Wasseus.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 112. ann. ad c. 120. post *libris* hoc immittendum est „3, 40."

Pag. 156., versu penultimo capitis 25., sero intellexi, ponendum esse ἔτι, *praeterea*, pro ἐπὶ, cum ellipsi durissima laborent vulgata, verborum autem παραπλεύσαντες δὲ οἱ Ἀθηναῖοι ἔτι ἄλλα χωρία ἐδῄουν aperta sit sententia. nec raro ἔτι et ἐπὶ permutata inter se sunt a scribis; qua de re diximus in annotatis ad Iliad. ρ', 41., χ', 59., Odyss. α', 414., Athen. 3, 17. (ἐπὶ τῶν ἐκτὸς δὲ σύκων, ubi item scribendum est ἔτι); 4, p. 173. (ubi ἐπίλυχνον legitur pro ἔτι λύχνον); 13., 586, c, etc. nam ἐπὶ eodem sensu intelligi, velut c. 30., non minus durum est propter ambiguum.

Lib. 2, cap. 72., pag. 195., ponendum arbitror ἐπὶ πολέμῳ δὲ μηδετέρους, ut lib. 3, 64. ὥστε μηδετέροις ἀμύνειν, annotatis ad illa inductis.

DE THUCYDIDIS VITA ET LIBRIS,

MAXIME SECUNDUM HAACKEI DISPUTATIONEM IN ALTERA EJUS EDITIONE SEEBODIANA.

De vita Thucydidis parum constat: nam praeter paucos locos, in quibus ipse de se scriptor in opere suo loquitur, nihil fere est, quod pro explorato haberi possit, cum, qui passim laudant Thucydidem auctores utriusque linguae, Dionysius Halicarnassensis, Plutarchus, Pausanias, Cicero, Plinius major, alii, aut sint aetatis inferioris quam quorum testimonia fidem per se faciant, aut adeo inter se discrepent, ut aegre concilientur. multoque minus etiam certa sunt, et ex parte manifesto falsa, ea, quae afferuntur a grammaticis, Marcellino, alteroque anonymo scriptore vitae Thucydidis, et Suida. E recentioribus quidem hunc locum tractarunt Henricus Dodwellus in Apparatu ad Annales Thucydideos, G. G. Bredovius in Dissertatione de vita et stilo Thucydidis, Annotationibus in Thucydidem metaphrasi Heilmanni germanicae subjectis praemissa; Ambrosius Firminus Didotus in editione Thucydidis, redditi ab eo francogallice, cum notis ipsius et Graeci de Brussy, qui liber excusus est 4 voluminibus Parisiis a. 1833.; Franciscus Göllerus ed. 2. Thucydidis, a. 1836. excusa, tomi prioris p. 3. ad 49.; copiosissime autem de Thucydidis vita et libris, ejusque dicendi genere, disseruit Ern. Frid. Poppo in Prolegomenis ad Thucyd. vol. 1. part. 1. nos pro instituti nostri ratione non omnia, sed certissima quaeque persequemur, usi maxime iis, quae scriptor ipse de se prodidit. Itaque hoc primum ponimus tanquam certum ipsius testimonio, Thucydidem per totum belli peloponnesiaci tempus septem et viginti annorum (ab Ol. 87. a. 1. ad Ol. 93. a. 4., sive ab anno ante Chr. natum 431. ad annum 404.) et vixisse, et animo valuisse ad res cognoscendas. sic enim loquitur libro quinto cap. 26. *Ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ (τοῦ πολέμου), αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ, καὶ προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι.* (cf. 1, 1., 20. — ad 23.; 5, 20.) *).

---

*) Didotus l. c., vol. 1. p. IV., annot. 2. „Il semble que les mots *αἰσθανόμενος τῇ ἡλικίᾳ* doivent s'expliquer ainsi: „malgré mon âge avancé

Sed licet in universum certo constet de aevo ejus, quippe qui sui temporis historiam condiderit, tamen de anno, quo natus sit, item quem ad annum vitam produxerit, nihil pro certo affirmare ausim. praeter Krügerum in annotatis ad Dionysii Hal. Historiographica p. 90. sequ. plerique sequuntur auctoritatem Pamphilae Graecae, quae sub Nerone degit in Aegypto, et de anno natali Thucydidis ita exponit apud Gellium Noct. att. 15, 23. „Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scriptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt, et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus: nam Hellanicus initio belli peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos videtur, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta. scriptum hoc libro undecimo Pamphilae.“ quodsi vera est Pamphila (nihil autem nobis notum est, quod ejus fidem infringat), Thucydides lucem adspexit Ol. 77, 2., ante Chr. 471. Atheniensem fuisse, ipsius docemur testimonio (1, 1.; 5, 26.), et natum in pago Halimusio, qui tribus Leontiae erat, inscriptione monumenti ejus, a Didymo et Antyllo apud Marcellinum §. 16. et 55. servata. Patris nomen fertur Olorus; matrem Hegesipylen appellat Marcellinus §. 2. teste Cicerone in Bruto c. 10. *summo loco* natus erat Thucydides. consentit Dionysius Hal. p. 770. (οὐ τῶν ἀπεῤῥιμμένων, ἀλλ' ὧν ἐν πρώτοις ἦγον Ἀθηναῖοι), et scriptor incertus Vit. Thuc. §. 6. (τῶν πάνυ κατὰ γένος Ἀθήνησι δοξαζομένων). quippe paternum genus, teste Plutarcho in Cim. c. 4., referebat ad Cimonem, Miltiadis ejus, qui apud Marathonem Persas devicit, et Hegesipylae filium; Miltiades autem originem ab Ajace atque Aeaco repetebat; et Hegesipyle, Cimonis mater, Olori Thracum regis filia fuit: unde factum videtur, ut Olori nomen in Cimonis familia propagaretur.

Patris nomine addito (v. Thuc. 4, 104.) hic noster a cognominibus quibusdam distinguitur, quorum duos ipse memorat, alterum Melesiae filium, Periclis in administranda republica aemulum, libro 1. c. 117., alterum Pharsalium, Menonis filium, lib. 8. c. 92. Ita concidunt fabulae grammaticorum de nimia divitiarum cupiditate Thucydidis, de ejus ostracismo in decem annos, de exilio in Aegina insula. nec satis credibile est, quod traditur, puerum Olympiae in ludis, cum Herodotum historias suas primum recitantem audiret, quasi divino aemulationis stimulo ad simile laudis studium jam tum erectum illacrimasse; quo animadverso Herodotum egregiam Oloro patri prolem gratulatum esse. certatim Critici recentiores, Bredovius, Poppo, Dahlmannus libro inscripto „Herodot, aus seinem Buche sein Leben,“ et cum eo Göllerus, hanc narrationem fictam esse ostenderunt, siquidem neque tempora conveniunt, neque auctores rei (Lucianus libello, qui inscribitur Ἡρόδοτος ἢ Ἀετίων, t. 4. p. 116. ed. Bipont., Marcellinus §. 54., Photius Bibl. cod. 60., Suidas in Θουκυδίδης et

---

j'ai conservé mes forces intellectuelles,“ ce qui ne peut se dire que d'un homme très âgé; et l'on voit fréquemment des vieillards conserver la force de leur esprit jusqu' au-delà de quatre-vingts ans. On dit encore en grec moderne d' un vieillard qui n'est pas devenu radoteur, qu'il conserve ses facultés morales, αἰσθάνεται ἀκόμη.“

ὀργᾷν) satis sunt locupletes. nam recitatio ista refertur ad Ol. 81, 1., a. Chr. 456., quo anno Thucydides circiter quindecim annos natus fuisset, si Pamphilam auctorem sequaris, Herodotus autem octo et viginti; quasi verisimile sit, Herodotum juvenili aetate jam diuturna illa ac longinqua itinera fecisse, et opus suum ad finem perduxisse: neque enim partem, sed totum ab eo recitatum fuisse narrant, unde novem libri nomina Musarum acceperint. praeterea Dahlmannus observavit l. c., nec facile quenquam vel valentissimum pectore et lateribus id praestiturum fuisse, nec, si praestitisset, vel audiri a tot millibus hominum potuisse videri, vel recitatione facta prosaïca sine concentu musicae actionisque et gestuum adminiculo, idque media aestate, cum neque a sole, neque pluvia, defenderetur adstans corona, tantum abstulisse plausum a Graecis fastidiosis, qui vel Demosthene dicente nonnunquam vagi discurrerent.

Thucydides ut princeps historiae scriptorum evaderet, certe ex parte fecerunt magistri. usus enim esse dicitur artis oratoriae praeceptore Antiphonte Rhamnusio (v. Marcell. §. 22., incert. script. Vit. Thuc. §. 2., Pseudoplutarch. in Vit. 10 Oratt. graec. ap. Reisk. vol. 7. p. 603.), quem ipse lib. 8. c. 68. tanquam praestantissimum oratorem collaudat. item eum in philosophia magistrum habuisse Anaxagoram, a Marcellino §. 22. traditur, cui famae liber ipse fidem conciliat, ut in quo animum rerum divinarum humanarumque cognitione repletum, ab omni superstitione alienum, liberum et erectum ostendat, non assentiens istis, qui insolita naturae eventa rerum futurarum prodigia esse opinabantur (cf. 2, 8.), sed talia haud obscure e constantibus naturae legibus repetens, velut 2, 28. solis et 7, 50. lunae defectum, 3, 89. maris inundationem, 7, 79. tonitrua et imbres. quare non abhorret Marcellinus §. 22., ex Antylli testimonio scribens, ipsum Thucydidem paulatim ἄθεον haberi coepisse, quod Anaxagorae disciplinam hausisse avidius videretur.

Incerta sunt, quae praeterea ante bellum peloponnesiacum ei acciderint: nam Sybarin aliquando eum concessisse, solus refert incertus Vitae scriptor §. 7., et fortasse id ex permutatione cum Herodoto explicandum est. quanquam in Italia et Sicilia fuisse Thucydidem, multi colligunt ex accurata locorum in opere ejus descriptione; sed nescio an rectius aliis videatur Axiochi, veteris rerum Italiae Siciliaeque scriptoris, libros legisse, cujus rei vestigia nonnulla monstravit Göllerus libro de situ et orig. Syracus. p. 8. sequ.

Uxorem duxit Thressam, ex urbe Scaptesula oriundam, ditissimam metallorum et aurifodinis, quas ibi possidebat (v. Marcell. §. 19.); itaque octavo belli anno, cum Brasidas Lacedaemonius in Thraciam profectus est, Thucydides illic auctoritate plurimum valebat, eique jus erat auri metalla exercendi (v. 4, 105.). videtur enim haec metalla e dote uxoris possedisse, non e patrimonio ab Hegesipyla illa, Thraciae regula, accepto, ut placet Plutarcho Cim. c. 4. (cf. Böckh. Oecon. polit. Athen. tom. 1. p. 336.) Filium ei fuisse Timotheum, memorat Suidas.

Ipse autem secundo belli anno, ante Chr. natum 430., Athenis se pestilentia correptum esse ait (2, 48.), qua posteriore anno Pericles periit. tum octavo, ante Chr. 424., classis Atheniensium parti alicui praefuit circa Thasum insulam et Thraciam (2, 104.), unde cum auxilium ejus arcessentibus Amphipolitanis sero se subvenisse, atque urbem a Brasida jam captam esse sensisset, Eïonem certe servavit, quam, si naves Thaso non advenissent, postera nocte Lacedaemonii erant expugnaturi. (4, 104—107.) at Athenienses Thucydidem, quod Amphipolin non servasset, exilio damnarunt, quod per viginti annos (a. Chr. 424. vel 423. usque ad 404. vel 403.) perpessus est. (v. 5, 26. extr.) cujus calamitatis auctorem ei fuisse Cleonem tradit Marcell. §. 46. exul ubi egerit vitam, ipse non prodit; grammatici varia commenti sunt; maxime verisimile videtur, eum secessisse Scaptesulam. otio autem exilii sic usus est, ut omnes res in bello peloponnesiaco gestas cognoscere quam accuratissime verissimeque et ex Peloponnesiis, et ex Atheniensibus, studeret. (v. 1, 22.; 5, 26. extr.; 7, 44.) nec tamen, quae comperit, jam illo tempore elaboravit atque in historiae formam redegit, ut existimare videtur Cicero de Orat. 2, 13., ita memorans, „Hos libros tum scripsisse dicitur, cum a republica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset“ (cf. Marcellin. §. 47.): nam finito demum bello Thucydidem appulisse animum ad scribendum, ejus rei non pauca, eaque certissima, in ipso opere apparent vestigia. belli enim finem saepius commemorat (1, 13., 18.; 5, 26.); et muros longos vidit destructos (1, 93.; 2, 13.); patetque igitur, non firmo argumento niti eorum opinionem, qui cum incerto scriptore Vitae Thuc. §. 8. prooemium post reliquam historiam compositum esse inde colligunt, quod in prooemio belli finiti mentionem faciat. hoc enim et alibi fit, et commemoratur, quamdiu et bellum et ipsius exilium duraverit, ex quo certissime sequitur, eum, qui exilii sui finem indicaverit, in patriam esse restitutum; illud dubium est, utrum hoc evenerit archonte Euclide, cum omnibus exulibus domum redeundi copia facta est, an peculiari populi decreto, ut censet Pausanias Attic. c. 23. §. 11. his verbis *Οἰνοβίου ἔργον ἐστὶν εἰς Θουκυδίδην τὸν Ὀλόρου χρηστόν· ψήφισμα γὰρ ἐνίκησεν Οἰνόβιος κατελθεῖν ἐς Ἀθήνας Θουκυδίδην* *). qui quod in reditu Thucydidem insidiis exceptum occubuisse narrat, falsus est: nam, pluribus illum annis post in vivis fuisse, vel ex eo intelligitur, quod finito demum exilio historiam ordinare coepit, id quod non paucorum annorum erat negotium; aliisque etiam argumentis confirmari potest. nam primum de Archelao, Macedonum rege

---

*) Krügerus Comm. Thuc. p. 248. ideo putat peculiari psephismate eum revocatum, quod Pisistratidas sanguine attingeret (vid. Marcellin. §. 18. et schol. ad Thuc. 1, 20.), qui a beneficio legis, qua exules restituebantur, exclusi erant. contra Göllerus disputat, Pisistrati et Miltiadis genus neque consanguinitate neque affinitate junctum ei fuisse. cf. Poppo Prol. vol. 1. p. 24. sed Krügeri sententiam confirmare videntur cum alia, tum verba illa 6, 55. *ὅτι πρεσβύτατος ὢν Ἱππίας ἦρξεν, εἰδὼς μὲν καὶ ἀκοῆς ἀκριβέστερον ἄλλων ἰσχυρίζομαι.* sic enim legendum esse puto.

tanquam de mortuo loqui videtur 2, 100.; cum autem decessisse Olymp. 95, 1., ante Chr. n. 400., auctor est Diodorus Sic. 14, 37.; negatque Praxiphanes apud Marcellinum §. 30., ante obitum regis Thucydidem inclaruisse. deinde operis pars posterior satis ostendit, scriptorem flumen orationis antea exuberans angustioribus ripis coërcuisse: nam inde a sexto libro minus nitet oratio (cf. Poppo Prol. t. 1. p. 30.); octavus autem liber omnino caret orationibus artificiose compositis et uberioribus rerum gestarum descriptionibus, quibus alibi ornare narrationem solet, cum senectutis, ut existimes, ingravescentis molestia animum quodammodo infringeret, spemque auferret opus adeo amplum et grave aequalibus ingenii viribus absolvendi; denique extremus liber abrupte desinit, morte, ut conjicias, occupante scriptorem*).

*) Digna est quae adscribatur Didoti de hac re disputatio acuta, quae legitur l. c., vol. I. p. VII. ad IX. sic igitur vir humanissimus „Quoiqu'il ne soit pas impossible que Thucydides n'ait pas vécu assez pour finir son histoire, on ne saurait cependant regarder cette opinion comme incontestable, puisqu'elle contredit les propres paroles de Thuc. lui-même, qui déclare au milieu de son histoire (5, 26.) l'avoir écrite tout entière et jusqu' à la fin, dont il détermine l'époque: „J'ai écrit les évènements de cette guerre," dit-il, „jusqu' au temps où les Lacédémoniens détruisirent la domination des Athéniens et s'emparèrent des longues murailles et du Pirée; jusqu' à cette époque la guerre dura 27 ans." Cependant le huitième livre de son histoire s'arrête tout-à-coup au milieu de la vingt-et-unième année de cette guerre. Pour démentir l'assertion de Thuc. lui-même on est obligé de dire qu'il affirme, dans le cours de son histoire, une chose qu'il avait intention de faire lorsqu'il écrivait ces paroles, mais que la mort ou d'autres causes l'empêchèrent de mettre à exécution. Cependant comme il paraît certain qu'il vécut jusqu' à quatre-vingts ans, il est difficile de supposer qu'un homme d'un aussi grand sens que Thuc. se fût laissé surprendre à cet âge par la mort, sans s'être hâté davantage d'achever un ouvrage qu'il déclare laisser à la postérité comme éternel, et dont il nous dit qu'il eut tout le loisir de s'occuper pendant les 20 ans de son exil, et pour lequel il recueillit si soigneusement tant de documents qu'il savait devenir inutiles s'il n'achevait pas son livre. — D'ailleurs ce récit de la mort de Thuc., arrivée avant d'avoir pu terminer son histoire, tandis qu'il affirme lui-même l'avoir conduite à sa fin, ne peut-il pas provenir de ce que la suite de son ouvrage, tronquée soit par quelque accident, soit par quelque copiste, à la fin du 8. livre, manquait dès long-temps? On pourrait même découvrir une trace de cette opinion dans ce que dit Diogène de Laërte, l. 2, 57.: car pour que Xénophon pût s'approprier l'ouvrage de Thuc. *resté inconnu*, il faut supposer qu'il n'en existait alors qu'un seul manuscrit, ainsi que l'a dit M. Daunou (v. l'article sur Thuc., Biographie univ. de Michaud); or si l'on admet que ce seul manuscrit était incomplet, il dut être depuis successivement reproduit dans l'état d'imperfection où il se trouvait.

La phrase elle-même qui termine l'histoire de Thuc. ne me paraît pas être de lui, mais d'un copiste, „Quand viendra la fin de l'hiver qui suivit cet été, la vingt-et-unième année de la guerre sera terminée." Cette phrase, qui se trouvait peut-être sur ce seul exemplaire dont parle Diogène de Laërte, me semble fortifier beaucoup mon opinion, et donner lieu de croire que le copiste, par un motif que nous ignorons, n'ayant pas pu ou voulu continuer de transcrire l'histoire de Thuc., se sera borné à cette indication. Qui sait même si ce copiste n'aurait pas lui-même abrégé le huitième livre en retranchant les discours qui pouvaient s'y trouver?

Non sua morte eum defunctum esse, praeter Pausaniam refert Plutarchus Cim. c. 4., Scaptesulae interfectum communi fama et in

---

Ce serait dono, à mon avis, l'état incomplet où se trouvait l'ouvrage de Thuc. qui aurait fait naître la supposition de ses biographes et des écrivains de l'antiquité qui ont répété ce fait eu se copiant les uns les autres. — Marcellin, qui en parle aussi comme d'un ouï-dire, ne cite aucun auteur contemporain de Thuc. ou voisin de son époque, qui l'ait constaté. (de Cratippo v. finem hujus annotationis. *Both.*)

L'exil de Thuc. eut lieu la huitième année de la guerre péloponnésienne. Cicéron, Denys d'Halicarnasse et tous les biographes s'accordent à dire qu'il écrivit son histoire durant cet exil, et c'est aussi ce qui résulte de ce que nous dit Thuc. lui-même, „qu'il vécut 20 ans dans l'exil, employant son loisir à démêler la vérité et à écrire son histoire.“ Cependant ce passage du livre 5., §. 26., où il annonce qu'il vécut 20 ans exilé de sa patrie, atteste un fait accompli, et tel que l'écrirait un homme de retour d'exil et non se trouvant encore exilé. Si donc, comme cela paraît constant, son histoire fut écrite en exil, ce fait ne peut avoir été ajouté par Thuc. qu'après son retour dans sa patrie, et ce serait une preuve de plus qu'il aurait revu alors tout son ouvrage, en rectifiant peut-être quelques faits que des renseignements postérieurs auraient pu lui faire mieux connaître.

On ne saurait, sans doute, soupçonner Xénophon d'avoir été capable de supprimer la fin de l'histoire de Thuc. pour se l'approprier (la différence du style rend d'ailleurs impossible une telle supposition), ou du moins pour se réserver l'honneur d'être le continuateur de cette histoire. M. Letronne (v. la Biographie universelle de Michaud, art. Xénophon) rejette également une opinion aussi contraire au caractère de Xénophon si connu par sa probité; mais malgré tout le parti que cet habile critique a su tirer de ce que Xénophon commence son histoire au moment même où finit celle de Thuc., pour en inférer que celui-ci n' avait pas eu le temps d'achever son ouvrage, bien qu'il eût déclaré le contraire, j'avoue que je ne suis pas entièrement convaincu par la force de ses raisons. J'insisterai même sur ce point, attendu l'importance d'un témoignage aussi puissant que celui de Thuc. lui-même parlant de son propre ouvrage, opposé au vague et à l'incertitude résultant des contradictions d'écrivains d'une autorité bien inférieure à la sienne. On sait d'ailleurs que la vie des grands hommes de l'antiquité est ordinairement défigurée à un tel point par des fables plus ou moins absurdes, qu'on doit rejeter tout ce qui n'est pas authentiquement constaté.

Si, d'après ce que dit Diogène de Laërte, il ne restait qu'un seul manuscrit de Thuc. en l'an 391., ce qui n'auroit rien d'étonnant, car l'ouvrage de Thuc., par l'indépendance même avec laquelle il est écrit, ne pouvait être publié de son vivant, ni même peut-être long-temps après sa mort, afin de ne pas compromettre sa famille, il suffirait d'admettre que ce manuscrit, soit par la faute du copiste, soit par tout autre hazard, s'arrêtât à la vingt-et-unième année de la guerre pour que Xénophon, ne voulant pas laisser l'oeuvre de Thuc. inachevée, eût naturellement commencé son histoire à l'endroit même où finissait le manuscrit. Il pouvait même avoir recueilli des amis et de la famille de Thuc. quelques détails et peut-être quelques notes relatives à la partie de cette histoire que Thuc. avait écrite, mais qui s'était perdue. C'est ce qui aura probablement donné l'occasion de dire, qu'il avait supprimé la suite du manuscrit de Thuc. (cf. Didoti notam, inferins perscriptam p. X.)

Mais sans recourir même à cette supposition, l'époque historique comprise depuis la bataille de Cynossema jusqu' à la déstruction des 30 tyrans était tellement importante qu'elle dut naturellement tenter les contempo-

Attica sepultum, in Thracia mortuum etiam Cratippus tradit, qui, pariter ac Theopompus Chius et Xenophon, historiam ejus continuavit (vid. Dionys. Hal. p. 847.) *). Ossa Athenas portata esse, et sepulcrum monstrari in monumentis Cimonis, testatur Plutarchus l. c.; quae monumenta erant Athenis ad portas Melitidas (v. Pausan. Attic. c. 23. et incert. script. Vit. §. 10.), in loco, qui *Coele* vocabatur, ibique inscriptio in Thucydidis sive sepulcro sive cenotaphio haec *Θουκυδίδης Ὀλόρου, Ἁλιμούσιος, ἐνθάδε κεῖται.*

Fuerunt inter veteres criticos, qui ultimum librum non a Thucydide, sed a filia ejus, vel a Xenophonte, conscriptum dicerent, teste Marcellino dissentiente §. 43. et sane is liber, ut a Xenophontis dicendi genere abhorret, ita Thucydidem haud dedecet, ipsaque oratione arguitur esse Thucydideus. Ceterum alias quoque olim divisiones Thucydideae historiae fuisse, e quibusdam veterum grammaticorum locis cognoscimus: modo enim novem, modo tredecim libri fuisse perhibentur. Diodorus 12, 37. *Ὁ δὲ Θουκυδίδης ἔτη δύο πρὸς τοῖς εἴκοσι γέγραφεν ἐν βιβλίοις ὀκτὼ, ὡς δέ τινες διαιροῦσιν ἐννέα.* Marcellinus §. 57. *Ἰστέον δὲ, ὅτι τὴν πραγματείαν αὐτοῦ οἱ μὲν κατέτεμον εἰς τρεισκαίδεκα ἱστορίας, ἄλλοι δὲ ἄλλως· ὅμως δὲ ἡ πλείστη καὶ ἡ κοινὴ κεκράτηκε, τὸ μέχρι τῶν ὀκτὼ διῃρῆσθαι [τὴν πραγματείαν].* unde apparet certe, non ipsum scriptorem quam hodie sequimur librorum divisionem instituisse, sed eam a grammaticis, licet antiquis, esse introductam.

---

rains de cette époque, si brillante d'ailleurs dans la littérature grecque; il n'est donc pas absolument impossible que Xénophon, n'importe par quel motif, ait voulu commencer son histoire à cette époque, bien qu'elle fût aussi traitée par Thuc.; il en serait seulement résulté un double récit pour cette partie de l'histoire grecque, l'un fait par Thuc., l'autre par Xénophon, et l'on peut admettre que quelques copistes, peut-être même le public, ayant donné la préférence à l'histoire de Xénophon, ne fût-ce que par la clarté du style, sur celle de Thuc., l'une aura été délaissée pour l'autre, en sorte qu'on n'aura conservé de Thuc. que la partie antérieure à celle de Xénophon. Chacun ensuite, frappé de ce rapport qui existe entre ces deux histoires, dont l'une semble la continuation de l'autre, aura voulu expliquer à sa manière un fait sur lequel on n'avait pas de documents. — Indépendamment de Xénophon, Théopompe (v. Polybe 8, 13, 3., Diodore de Sicile l. 13. §. 42.) et Cratippus (v. Denys d'Hal. p. 487.) avaient aussi commencé leur histoire à la même époque, et dans le but également, dit-on, de ne pas laisser incomplète l'histoire de Thuc. — Le témoignage de Cratippus, contemporain de Thuc., est celui de tous qui aurait le plus de poids en faveur de l'opinion de ceux qui croient que Thuc. n'acheva pas son histoire. Cependant les expressions dont se sert Denys d'Halicarnasse en nous rapportant le passage qui y est relatif n'annoncent pas, de sa part, une entière conviction: „*Il paraît,*" dit-il, „que Thuc. laissa son histoire incomplète, ainsi que l'a écrit Cratippus, qui florissait en même temps que cet historien, et qui a recueilli tout ce qu'il avait omis."

***) D'autres disent dans une ville d'Asie, qu' Etienne de Byzance nomme Parparon (voy. *Παρπάρων*), ou même en Italie, selon Timée, cité dans la vie de Marcellin." Didot. l. c., p. VI., ann.**

Quid praestiterit Thucydides, maxime intelligitur ex comparatione cum iis historiarum scriptoribus, qui eum aetate anteïbant. erant illi quidem λογογράφοι, i. e. prosae scriptores, qui tamen epicae poëseos, a qua profecta est apud Graecos historia, naturam ita retinebant, ut neque vera explorarent, neque ineptissimis saepe fabulis abstinerent (v. Creuzer. Art. hist., Dahlmann. l. c., Poppo Proleg. 1. p. 13.), famam ac rumores vulgi temere secuti. ne delectu quidem et nexu aptoque ordine rerum, quas tradebant, commendabantur, sed oblectationi tantummodo audientium studentes singulatim singulorum populorum memorabilia enarrabant, neque tempore accurate definito, neque causis eventorum expositis. (v. 1, 21. et 97.) tum, qui his successit, Herodotus etsi magis quidem consuluit veritati, et in longinquis itineribus pleraque omnia, quae narrat, aut suis ipse oculis inspexit, aut ex ore hominum peritorum excepit, tamen fabulosis indulget narratiunculis, partim ingenio ad ista propenso, partim plerisque temporibus, de quibus dixit, adeo remotis, ut, qui vera a falsis discernere vellet, ei opus esset subtili atque subacto judicio, animoque ab omni superstitione alieno; qualis non fuit Herodotus, vir pius, qui non solum deos coleret, verum etiam ministris eorum ac sacerdotibus, oraculis, vaticiniis fidem haberet, et quaecunque praeter consuetum rerum ordinem atque hominum expectationem evenissent, neglectis proximis causis a coelestibus ipsis repeteret. contra Thucydidis mens philosophiae luce illustrata verum in unaquaque re, plausus legentium nulla ratione habita (v. 1, 6., 20., 21.), pervestigare quam vel vanis rumoribus aures praebere, vel falsorum speciem sectari, priscaeque superstitioni, velut oraculorum (de quibus v. 1, 126.; 2, 17. et 54.), pondus addere suo assensu, maluit; qua in re non modo ingenium et animi dotes eum adjuverunt, sed etiam temporum opportunitas, praesertim ad exploranda verisimillima eventorum. primum enim multarum rerum gestarum testis oculatus fuit adulta jam aetate, cum bellum exarsit; deinde non in obscuro aliquo loco degebat, sed in iis ipsis regionibus, in quibus cum maxime dimicabatur, Attica atque Thracia; neque longo tempore interjecto res litteris consignavit, sed deinceps annotavit, quae bello finito, cum factorum causae et eventus rectius perspici possent, in ordinem redigeret atque elaboraret. in exilio autem et Atheniensium, humanissimorum illo tempore Graecorum, et Lacedaemoniorum, consuetudine libere usus est (v. 5, 26. extr.), partimque studium, si quod erat, eo facilius exuit, quo patriae amorem injuria, quam passus erat, rursusque injuriae memoriam beneficium civium et reditus, temperabat.

Temporum notandorum diligentissimus fuit, res gestas anni temporibus, aestate et hieme, annos Archontibus, Ephoris, Boeotarchis, Olympionicis in pancratio, distinguens: Olympiadum enim ratio a Timaeo demum, Ptolemaei primi, regis Aegyptiorum, aequali, in historia usurpata est: quare hic noster antiquiorum aetatum res aut a troïcis, aut retro a fine belli peloponnesiaci, ut plurimum computat (v. 1, 12. et 13.).

De dictione Thucydidis et veterum multi, in quibus Dionysius Ha-

licarnassensis, Cicero, Quintilianus, egerunt, et ex recentioribus Gerh. Joh. Vossius de Hist. gr., Creuzerus in Arte hist. et libro de comparatione Herodoti et Thucydidis, Gölleras editione 2. Thucydidis, vol. 1. p. 49. seqq., Ambrosius Didotus in editione ejus et metaphrasi gallica, tum Poppo Prolegg. t. 1., hanc materiem tractarunt. Dionysii quidem judicium, saepe acerbum, praeter Popponem l. c. p. 49. et 86. seqq. expenderunt, partim probantes, partim reprehendentes, Krügerus ad Dionysii Historiographica et Bernhardy in Arte grammatica linguae graecae (Wissenschaftliche Syntax) p. 19. seqn. et 453. rectius atque haud scio an optime omnium veterum Cicero Thucydidis elocutionem judicavit, de antiquiorum Atticorum dictione sic disserens in Bruto c. 7. extr. „Quibus temporibus qnod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. *Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.*" idem de Orat. 2, 13. „Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum quoque numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur." et de orationibus a Thucydide intertextis idem Cicero Orat. c. 9. „Ipsae illae," inquit, „conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur."

Quo in genere dicendi Thucydidem varios aemulatum esse docent veteres critici (v. Marcellin. §. 35. sequ., Dionys. p. 929. ibique Krüger.); in dispositione quidem Homerum maxime, tum Pindari sublimitatem, nonnihil etiam Gorgiae Leontini artem, in collatione contrariorum atque in eo positam, ut verba verbis quasi demensa responderent, denique accuratum Prodici Cei delectum verborum; ab Herodoti autem ratione mirum quantum discrepat. quos comparans Cicero Orat. cap. 12. „Quo magis," inquit, „Herodotus Thucydidesque sunt mirabiles; — alter enim sine nllis salebris quasi sedatus amnis fluit; alter incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum; primisque ab his, ut ait Theophrastus, historia commota est, ut auderet uberius quam superiores et ornatius dicere." Quintilianus Instit. or. 10, 1. „Densus, et brevis, et semper instans sibi, Thucydides; dulcis, et candidus, et fusus Herodotus; ille concitatis, hic remissis affectibns melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate." Ubique Thucydides structuram verborum, interdum novorum, variat, concinnitatem membrorum tollere non dubitans, nec raro abruptius dicens, stiloque tantum non poëtico. v. 6, 18., 34. idem tamen in digerendis exponendisque rebus gestis tam clarus perspicuusque est, ut in his partibus non facile a quoqnam superetur. Plutarchus de gloria Athen. p. 347. *Ὁ γοῦν Θουκυδίδης ἀεὶ τῷ λόγῳ πρὸς ταύτην ἁμιλλᾶται τὴν ἐνάργειαν, οἷον θεατὴν ποιῆσαι τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὰ γινόμενα περὶ τοὺς ὁρῶντας ἐκπληκτικὰ καὶ ταρακτικὰ πάθη τοῖς ἀναγιγνώσκουσιν ἐνεργάσασθαι λιχνευόμενος. Ὁ γὰρ τὴν ῥαχίαν αὐτῆς τῆς Πύλου παρατάττων τοὺς Ἀθηναίους Δημοσθένης* (Thuc. 4, 9.), *καὶ ὁ τὸν κυβερνήτην*

ἐπισπέρχων Βρασίδας ἐξοκέλλειν (Thuc. 4, 11. sequ.), καὶ χωρῶν ἐπὶ τὴν βάθραν, καὶ τραυματιζόμενος, καὶ λειποψυχῶν, καὶ ἀποκλίνων εἰς τὴν παρεξειρεσίαν· καὶ οἱ πεζομαχοῦντες μὲν ἐκ θαλάττης Λακεδαιμόνιοι, ναυμαχοῦντες δὲ ἀπὸ γῆς Ἀθηναῖοι· καὶ πάλιν ὁ ἐν τοῖς Σικελικοῖς ἐκ τῆς γῆς πεζὸς ἀμφοτέρων, ἰσοῤῥόπου τῆς ναυμαχίας καθεστηκυίας (Thuc. 7, 71.), ἄλαστον ἀγῶνα καὶ σύνταξιν τῆς γνώμης ἔχων διὰ τὰς συντάξεις, ὡς συνεχὲς τῆς ἁμίλλης καὶ τοῖς σώμασιν αὐτοῖς, ἴσα τῇ δόξῃ περιδεῶς συμπνέων τῇ διαθέσει καὶ τῇ διατυπώσει τῶν γινομένων γραφικῆς ἐναργείας.

Thucydidi et amatores defuisse ait Cicero in Bruto c. 17., et non paucos imperite eum secutos esse testatur Oratore c. 9. cf. Lucian. de hist. scrib. §. 29. seqq. Demosthenes, qui Thucydidem octies sua manu descripsisse fertur, adeo ut ejus libros paene ad verbum memoriter posset recitare (vid. Lucian. Πρὸς ἀπαιδ. t. 3. p. 102.), sententiarum potius vim et gravitatem quam sublime et concisum dicendi genus videtur aemulatus esse, quippe quod minus conveniret oratori. (v. Wolf. Proleg. in Demosth. Leptin. p. 51.) quem tamen Dionysius Halic. de Thucyd. jud. c. 53. sequ. ad Thucydidis exemplum saepe ab usu loquendi deflexisse ait. Ceterum ipse Dionysius, quamvis acerrimus Thucydidis adversarius et insulsus saepe judex, item Dio Cassius, Arrianus et Appianus, Thucydidis imitatoribus annumerandi sunt; ex Latinis autem Sallustius atque Tacitus. v. Poppo l. c. p. 355. seqq. Plutarchus Thucydidis, quem quidem ante oculos habuit, res spectavit magis quam elocutionem, qua plane diversa utitur. ex deperditis autem scriptoribus Syracusium Philistum Cicero de Orat. 2, 13. Thucydidem inprimis expressisse dicit. cf. idem Bruto c. 17., Quintilian. 10, 1, 74.

Thucydides quoniam a gerendis rebus ad easdem scribendas se contulit, historiamque in usum hominum politicorum composuit, non solum oratoribus, sed etiam regibus et principibus viris fuit gratissimus. velut Alphonsus quintus, Arragoniae rex, sua ipsius manu plus semel libros ejus dicitur descripsisse; et Carolus quintus, Germanorum imperator, Claudii Seysselii gallicam interpretationem Thucydidis secum portare solitus est (v. Bredov. l. l. p. 12.), sicut Homeri poëmata olim Alexander Macedo.

Thucydidis libros abditos cum supprimere potuisset, in lucem eos protulisse Xenophontem auctor est Diogenes Laërt. in Vita Xenophontis (2, 57.)*). quos jam Plutarchi aetate cum librariorum erra-

*) „Diogène de Laërte dit, liv. 2, 57., que l'ouvrage de Thucydides était resté inconnu, et que ce fut Xénophon qui le publia le premier. Cette opinion a été savamment discutée et approuvée par M. Letronne. Cependant Xénophon, qui, au commencement du 3. livre des Helléniques, fait mention de Thémistogène de Syracuse, historien, comme lui, de Cyrus le jeune, n'a jamais dit un mot de Thuc. ou de son histoire; il était pourtant naturel que, si Xénophon, pour achever la rédaction incomplète des derniers évènements de la guerre péloponnésiaque, se fut fait le continuateur de Thuc., il eût mentionné ce fait; on ne conçoit même pas cet oubli.“ Didot. Thuc. vol. I. p. VI. et VII.

tis, tum emendatorum audacia, vitia traxisse videri ait Wesseling. ad Diodor. t. 5. p. 550. ed. Argent. Commentatores mature nactus est propter multos difficiles et obscuros locos. commemoratur a Suida Euagoras Lindius, qui inter alia scripserit περὶ τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ ζητουμένων κατὰ λέξιν. in scholiis nominantur Sabinus, Antyllus, Aesculapius (Ἀσκλήπιος), et Phoebammon, quorum ex interpretationibus supersunt fragmenta. quae cum pro diverso diversorum lectorum judicio excerpta et marginibus quorundam Thucydidis exemplarium adscripta essent, tandem ab aliquo illorum collecta sunt et aucta variis cum ipsius, tum aliorum, additamentis. inde intelligitur, qui fieri possit, ut alter alterius expositionem hic illic reprehendat. haec scholia ut diversa sunt aetate auctoribusque, ita diversum singulorum est pretium, nonnullis vetustis utilibusque, multis autem ineptis et a mente scriptoris aberrantibus.

Restat, ut libros Thucydideos, cum scriptos, qui adhuc innotuerunt, tum editos praestantiores, recenseamus secundum Popponis, Didoti, et Gölleri, virorum clarissimorum, descriptiones, appositis etiam siglis Bekkeri, quae B littera significata sunt.

Sigla apud Popponem et Göllerum, quibus siglis in parenthesi addita sunt Bekkeri et A. Didoti.

Cass. Casselanus, (H. [I. Didot.]) bombycinus, scriptus anno 1252. et adhibitus a Dukero, qui librum descripsit praef. VI. ed. Beck.

Aug. Augustanus (F.) [v. Reiser. Catal. p. 69., num. 40.], nunc Monachii (v. Hardt. Catal. num. 430.), membran., seculo 12. antiquior, primum collatus a Gottlebero et Bauero, deinde a Bekkero in usum editionis stereotypae Thucydidis, quam publicavit a. 1832.

Cl. Clarendonianus, (N. [O. Did.]) hodie Cantabrigiensis num. 3., 18., olim ab Hudsono usurpatus, et recens in libris 6. 7. 8. ab Arnoldo, quem v. praef. vol. 2. p. VI.

Ven. Venetus, cujus specimen, variantes scripturas libri 1. usque ad cap. 39. continens, habetur in Zanetti Catalogo codicum MSS. Venetorum, edito Venetiae a. 1740. discrepantias in tribus libris prioribus dedit Arn. vol. 2. p. 423. seqq., in reliquis sub verbis scriptoris vol. 2. et 3. editionis suae.

Par. A. Parisiensis num. 1868. (a.), qui finitur capite 40. primi libri.
— B. — — num. 1791. (b.)
— C. — — num. 1636. (c.), chartac., foliis 195.
— D. — — num. 1637. (d.), membran., fol. 226.
— E. — — num. 1733. (e.), a Gailio collatus.
— F. — — num. 1735. (f.), chartac., fol. 325., item a Gailio inspectus.
— G. — — num. 1736. (g.), chartac., fol. 357., Regius appellatus a Dukero, cujus collatio haud raro differt a Gailii, quod fugit Bekkerum.
— H. — — num. 1734. (h.), chartac., fol. 396., a Gailio

usurpatus pariter atque I. et K. (i. k.), qui codices numerantur 1638. et 317.

(Annotavit Göller. 2. ed. vol. 1. p. 80., Bekkerum hos libros Paris., cum admodum recentes esse intelligeret, non pertractasse, neque dissentire a Gailio nisi aliquoties in 6. libro.)

Pal. Palatinus num. 252. (E.), Heidelbergae asservatus, membran., forma maxima, foliis 326., quem librum, commemoratum a Fabricio Bibl. gr. vol. 2. p. 729. ed. Harl., Creuzerus seculo 12. antiquiorem putat. adhibuit cum Bekkerus primum ad majorem suam ed., deinde iterum ad stereotypam; Popponis autem in usum etiam a Frommelio et Morstadtio excussus est. praeter Thucydidem continet etiam Marcellinum et scholia pauca, neque antiqua.

It. Italus (A.), membran., forma maxima, pridem ex Italia superiore bibliothecae Paris. illatus, et a. 1815. redditus Austriacis, qui ubi nunc lateat, ignoratur. insunt scholia, fere ad medium librum ab antiqua manu, deinde a recentiore, scripta. totum excussit Bekkerus Parisiis 1812.

Vat. Vaticanus num. 126. (B.), membr., forma paulo minore, foliis 188., scriptura plena compendiis, primum collatus a Bekkero.

Marc. Marcianus 365. (D. Bekk. et Didot., W. Göller.), olim Bessarionis, bombycinus, forma non maxima, qui liber continet Herodotum, Xenophontis Historiam graecam et Thucydidem. hujus quidem Bekkerus comparavit librum 7., Arn. priora 15 capita quarti et paulo plus 20 primis capitibus octavi.

Sunt etiam alii duo Thucydidis codices Marciani (Y. et Z. Gölleri), alter 7. classis, sive Hist. profan., 50., alter 5., secundum Catalogum bibliothecae; quorum ille, redditus a Gallis a. 1815., habet multa scholia nondum edita, neque contemnenda ex parte, sed lectu difficilia; alter prius apud Dominicanos in monasterio S. Johannis et Pauli repositus fuit. utrumque obiter tantum inspexit Arnoldus, cum haud diu commoraretur Venetiis; quem v. praefatione 2. voluminis, inde a p. 8.

47. 48. libri duo, qui Thucydidem continent, his numeris insigniti in Collectione Matth. Aloysii Canonicii, presbyteri ordinis societatis Jesu Venetiis, quam a. 1813. emit Academia Oxoniensis, nunc asservatam in bibliotheca Bodlejana. utrumque codicem perpaucis modo locis adhibuit Arn., quippe nec antiquum, et fere cum libris scriptis pessimae notae consentientem.

Parm., Parmensis seculi 15. ad finem vergentis, plerumque cum D. et I. Parisiensibus conspirans, quem circiter 30 capitibus libri 4. et nonnullis ceterorum librorum Thucydidis evolvit Arn.

Bas. Basileensis (G.), a Camerario tractatus, cujus collatio distinguenda est a Wetsteniana, in usum Dukeri facta. „Praeterea Camer. et alio quodam codice Basil. videtur usus esse, cum subinde scripturam a Wetstenio non commemoratam indicet, velut libri 2. capitibus 20. 29. 59. 70. 71. 78. 81. 83. 89.“ *E Göll.*

Gr. Graevianus (K. [L. Didot.]), chartaceus, seculi 15., Trajecti ad Rhenum asservatus, quo libro usi sunt Huds. et Duk.

Lugd. Lugdunensis Batavorum, chart., seculi 14., forma quadrata, sed oblonga, continens Marcellinum, Thucydidem cum scholiis marginalibus, partim novis, et Dionysii Hal. libellum de idiomatis Thucydidis. ex hoc libro quaedam excerpsit Wyttenbachius in Selectis principum historicorum.

Laur. Laurentianus plut. 69. cod. 2. (C.), membran., forma majore, litterisque grandibus et rotundis, seculi 13. secundum catalogum bibliothecae florentinae. scholia et lemmata satis multa insunt, sed fere a recentiore manu. in fine legitur DEO GRATIAS. PETRUS SCRIPSIT. hunc codicem Bekk. adhibuit ad Thucydidis librum 1. inde a capite 15. et ad secundum, tum ad octavi capita prima 31.; ad tertium vero et quartum Arnoldus in usum editionis, quam curavit Oxoniae. („Praeter hunc codicem alius Thucydidis liber Ms. extat Florentiae in bibl. Laurentiana, multo recentior, necdum collatus. v. Arnold. praefat. vol. 1. p. XXII.“ *E Göllero.*)

Vind. Vindobonensis, in bibliotheca imperatoria, num. 33. codd. hist. graec. (I. [K. Didot.]), ab Altero adhibitus ad editionem suam Thucydidis, quae 2 voluminibus excusa est Vindobonae a. 1786.

„Idem (Alterus) locos Thucydideos, a Stobaeo laudatos, cum codice Vindob. Stobaei 67. philos. graec. (v. Fabric. Bibl. gr. vol. 2. p. 729. ed. Harles.) contulit, et editioni, quam a. 1787. publicavit, Lucretii addidit Thucydidis descriptionem atticae pestilentiae ex libro Ms. seculi 14., quo libro in editione Thucydidis non erat usus.“ *E Göllero.*

Mosq. Mosquensis 217. (Q. [R. Didot.]), chart., in usum Gottleberi et Baueri collatus.

Ar. Arundelianus, in bibl. Norfolkiana (L. [M. Didot.]), ab Hudsono collatus.

Bar. Baroccianus, in bibl. Bodlejana (M. [N. Didot.]), qui liber nonnisi conciones habet, ab eodem usurpatus.

